



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 3. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

94. Confirmatur 1. Ex vi decreti præcisè intentivi, aut disjunctivi non potest contritio mereri primam gratiam, seu primum auxilium; aliter primum auxilium non esset gratia, sed merces, quod dici non potest; atqui nulla alia ratio assignari potest, nisi quia ex vi decreti præcisè intentivi, aut disjunctivi, cum non adhuc videatur decretum determinatum, & executivum, à quo contritio per se procedit, videri nondum potest disponens, aut merens; ergo &c. Confirmatur 2. In eo distinguitur meritum à causa finali, quòd causa finalis movet, ut sit; sic apponimus media, ut sit salus: at causa meritoria movet, quia est; ita, ut jam sit absolutè prævisa in se ipsa pro sua differentia temporis dependens à causis, à quibus per se procedens ut moveat ad præmium; atqui non potest in se ipsa ita prævideri exitura pro sua differentia temporis, nisi pro signo sequenti ad decretum determinatum, & executivum, à quo per se procedet in sua differentia temporis; ergo &c. Confirmatur 3. Contritio præcisè ut disjunctivè intenta non potest mereri se ipsam, ut determinatè, & in executione ponendam, ex eo, quòd disjunctivè intenta nondum dici potest movere, quia est; ergo &c.
95. Prob. 2. Contritio, ut adversarij fateantur, licet de potentia absoluta posset, at connaturaliter, sive de potentia ordinaria nequit disponere ad habitum, à quo primò per se producitur; atqui fundamentum Adversariorum eodem prorsus modo probaret de potentia ordinaria, & connaturali vi contritionis, ac probaret de potentia absoluta; ergo, sicut fundamentum illud apud Adversarios est falsum de potentia ordinaria, ita etiam de potentia absoluta. Prob. ant. Absque ullo miraculo, & absque ulla rerum violentia potest Deus pro libito suo decernere contritionem per decretum purè intentivum, aut disjunctivum, atque pro signo sequenti elicere decretum determinatum, & executivum, quo contritio pro sua temporis differentia, reducenda sit extra causas; sed quòd ita fieri potest absque ulla violentia, & miraculo, non est supra connaturalem vim contritionis, neque fieri potest duntaxat à Deo de potentia extraordinaria, verum etiam de potentia ordinaria, ut ex ipsis terminis patet; ergo &c. Ex dictis
96. Fit 1. Principium meriti non posse cadere sub meritum. Ratio est, quia actus meritorius non est meritum, nisi prout se ipso prævideatur absolutè futurus, & pendens à suis determinatis causis pro sua differentia temporis: atqui Deus moveri non potest ab actu ita in se ipso absolutè præviso pro sua differentia temporis ad decernenda ea principia determinata, à quibus ille actus per se producitur; quandoquidem, ut ille actus in se ipso pro sua differentia temporis ita absolutè prævideatur, necesse est, ut Deus jam decreverit pro signo priori ea principia conferre; ergo &c. Fit 2. Creaturam non posse mereri primam gratiam.

Ratio est, quia pro signo priori ad primam gratiam prævideri non potest in se ipso pro sua differentia temporis absolutè futurus ullus actus supernaturalis, proindeque Deus non potest ab illo actu moveri ad primam gratie collationem: sed hoc requirebatur, ut creatura mereri posset primam gratiam; ergo &c. Fit 3. Creaturam per unum actum elicivum virtutis gratiæ posse mereri alteram gratiam ad elicivendum alium actum: Ratio est, quia in eo casu ex actu absolutè præviso movetur Deus ad dandam gratiam subsequenter actum, atque merito ipsius actus respondentem, quamnam autem gratiam possit homo mereri de congruo, quamnam verò de condigno, dicemus in Tractatu de merito.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

Objicies 1. contra primam conclusionem. Sæpè in Sacra Scriptura dicitur, *Deus diligit diligentes se*; ergo actus charitatis est jus ad divinam redamationem, proindeque forma sanctificans. Confirmatur 1. Juxta Tridentinum sess. 14. cap. 4. adscribitur justificatio actui perfectæ charitatis: sed non absterberetur illi, si non esset forma sanctificans; ergo &c. Confirm. 2. aliorum Patrum testimonijs, que affert Vasquez, in quibus charitas actualis aliquando dicitur pulchritudo, & sanctitas animæ, aliquando verò justitia, remissio, & destructio peccatorum; quandoque conformatio, & assimilatio cum Deo: sed ista sunt propria munera formæ sanctificantis; ergo &c. Confirm. 3. ex alijs Patribus dicentibus, homines diligendos Deum fieri Dei amicos. Quare D. Bernardus ait: *Amor per se sufficit, & per se placet, & propter se*: tum etiam Augustinus supra illud Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, ait: *Si Deus non reciperet confugientes ad se, esset in eo iniquitas*: sed hæc haberi non possent, nisi actus perfectæ charitatis esset forma sanctificans; ergo &c.

Resp. 1. conc. ant. & neg. confeg. quia Deus diligit diligentes se ex sua promissione, qua misericorditer voluit in hac providentia non denegare gratiam sanctificantem, & constituentem filios Dei, sed eam concedere illis, qui actu perfectæ charitatis Deum diligunt: hoc autem non habetur ex jure talis actus ad redamationem. Si enim plebejus, qui graviter offendit Regem, licet postea Regem diligat, & affectivè sit amicus Regis, non ex eo est effectivè amicus, neque habet jus ad amicabilem redamationem; quanto minus homo, licet Deum diligat, sitque affectivè Dei amicus, non exinde erit effectivè amicus Dei, aut habebit jus ad divinam redamationem? Amicitria enim effectiva, sive constituens amicos, hæc in mutuo jure ad redamationem inter eos, qui eadem speciali natura gaudent, quod habetur

in homine ratione gratiæ habitualis, quæ est participatio naturæ Divinæ, & jus ad redamationem, & in Deo ratione suæ sanctitatis, & promissionis; sicuti inter homines, qui eadem specie naturæ gaudent, habetur in promissione, & acceptatione mutua ad redamationem, in quo stat jus ad redamationem amicabilem; Unde licet aliquis amet alterum, aut ab eo redametur amore charitatis, sive amicitiae, nõ exinde erit effectivè amicus, neq; amor ille erit amicabile, si non adit jus mutuam ad redamationem.

99. Ad primam confirmationem dist. maj. ascribitur tanquam ultimæ dispositioni ad gratiam justificantem conc. tanquam formæ sanctificantis neg. maj. & dist. min. neg. conseq. ut constat ex dictis. Videatur D. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula 2. Ad secundam confirmationem dist. maj. dicitur pulchritudo &c. arguitivè conc. formaliter neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Etenim cum actus charitatis, ut constat ex Trideptino adducto à n. 18. sit ultima dispositio ad formam sanctificantem, tribuuntur illi arguitivè, non verò formaliter munera gratiæ sanctificantis: ad eum modum, quo ultima dispositio ad formam ignis dicitur destructiva formæ ligni, non quidem formaliter, sed arguitivè. Ad tertiam confirmationem, conc. maj. & neg. min. quia ea omnia rectè dicuntur de actu perfectæ charitatis tanquam de ultima dispositione ad sanctitatem, quam Deus in hac providentia non vult informè, ut in simili diximus cum D. Thoma num 30. & satis constat ex Trid. superius à nobis adducto. Unde si hominem dilectione perfectæ diligentem Deum non reciperet Deus, ageret contra suam promissionem, in quo esset iniquitas; Neque ad rem venit, quòd charitas se ipsa Deo placeat, nam quicumque actus virtutis se ipso placet Deo; neque exinde est forma sanctificans.

100. Objicies 2. Dilectio perfectæ est se ipsa formaliter expulsiiva omnis peccati tum actualis, tum habitualis; ergo est forma sanctificans. Prob. ant. non potest quis offendere actualiter Deum, dum illum super omnia diligit, proindeque amor Dei super omnia certissime est se ipso incomponibilis cum omni peccato actuali. Rursus peccatum habituale consistit in peccato commisso, & non retractato, dilectio autem perfectæ est retractatio peccati; ergo est se ipsa formaliter expulsiiva etiam peccati habitualis. Confirm. 1. Peccatum est voluntaria aversio à Deo, & conversio ad creaturam: atqui dilectio Dei super omnia est se ipsa formalis conversio ad Deum, & aversio à creatura; ergo est se ipsa formaliter expulsiiva omnis peccati. Confirm. 2. Per actum lethaliter peccaminosum non solum constituitur homo affectivè, sed etiam effectivè malus, & inimicus Dei; ergo per actum charitatis perfectæ non solum constituitur bonus, & amicus Dei affectivè, sed etiam effectivè. Confirm. 3. Si dilectio Dei super omnia non esset se ipsa

R. P. GORMAN. Theolog. Tom. 1.

formaliter incomponibilis cum peccato habituali, in sensu composito dilectionis perfectæ adhuc in alia providentia posset esse homo inimicus Dei, & dignus pœnâ æternâ, possetque mitti in infernum; qui est status necessitatis moralis ad peccandum actualiter: atqui ille, qui potest componi cum statu necessitatis moralis ad peccandum actualiter, potest componi cum actuali peccato; ergo dilectio Dei super omnia posset componi cum peccato actuali, si semel componi posset cum habituali, quod evidenter repugnat.

Resp. Neg. ant. quoad secundam partem, ad probationem concessa prima antecedentis parte neg. secundam cum conseq. Nam peccatum habituale non stat propriè in eo, quòd sit commissum, & non sit retractatum, sed in eo, quòd sit commissum & non sit destructum, aut remissum; ad hoc autem ut sit remissum satis non est, quòd creatura velit remissionem; sicuti ut remittatur debitum contractum mille aureorum v. g. satis non est quòd debitor desideret, ut ei debitum illud remittatur. Ad primam confirmationem dist. maj. voluntaria aversio affectivè, & effectivè transgressiva juris Dei, conc. non transgressiva, neg. maj. & dist. min. est se ipsa formalis conversio affectivè, conc. effectivè, neg. min. & conseq. quia, ut esset conversio non solum affectivè sed etiam effectivè, opus erat, ut non solum esset voluntas destruendi peccatum, sed etiam esset formalis peccati destructio; ad ponendam autem formalem destructionem peccati: cujus homo reus est, non sufficit, quòd reus ipse velit destructionem peccati, ut ex ipsis terminis notum est: sed requiritur saltem, quòd apponat id, cui talis remissio ratione sui debeatur; cum autem actu charitatis ratione sui non debeatur ea remissio, exinde nequit esse effectivè ratione sui conversio ad Deum; quin imò plures Theologi docent, idem etiam dicendum fore, quamvis actus charitatis esset dispositio ad gratiam non solum ex lege Dei, sed etiam ex natura rei; nam eo in calu se haberet, sicut unio albedinis cum subiecto, quæ unio non est virtus dealbativa, sed cui deberetur virtus dealbativa, sed de his latè in Tractatu de Incarnatione.

Ad secundam confirmationem conc. ant. & neg. conseq. quia peccatum lethale est gravis transgressio divinæ legis, proindeque est contra actualem Dei voluntatem, tribuitque Deo jus ad rationabilem, gravemque displicentiam, in quo stat, quòd homo per tale peccatum reddatur effectivè malus; at per dilectionem Dei super omnia, qua homo divinam amicitiam affectivè desiderat, non apponit effectivè id, cui debeatur remissio contracti debiti, ut constat ex num. 98. proindeque formaliter vi illius actus nequit homo manere bonus, & amicus Dei effectivè. Ad tertiam confirmationem conc. maj. & dist. min. potest componi cum actuali peccato, dum maneat impeditus ad peccandum, neg. dum maneat expeditus,

000

conc.

conc. min. & neg. conseq. ratio est, quia, licet status inferni sit status necessitatis moralis ad actualiter peccandum, non denominaret moraliter necessitatum illum, qui haberet dilectionem Dei super omnia in sensu composito talis dilectionis, cum ea dilectio sit victoria illius necessitatis moralis. Quare si in sensu composito illius dilectionis Petrus mitteretur in infernum, non posset in eo instanti peccare, neque haberet necessitatem moralem ad peccandum, nisi desistendo à dilectione, cum enim necessitas moralis possit vinci physice per suum oppositum, illa dilectio, quæ omnino opposita esset tali necessitati, revera vinceret illam necessitatem, atque ita subsequenter redderet Petrum impedimentum ad denominationem moraliter necessitati ad actualiter peccandum, unde si ea dilectio supponatur pro signo priori ad statum inferni, supponetur & pro priori victa illa moralis necessitas, si autem supponatur ea dilectio pro signo posteriori, supponetur quoque pro signo posteriori illa moralis necessitas superata.

103. Objicies 3. contra secundam conclusionem. D. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula 2. agens de pijs moribus, qui ad justificationem disponunt, sic habet: *Cum isti motus, qui sunt in ipsa justificatione impij, sint quasi dispositio ultima ad gratia susceptionem, suo modo procedunt quidem in via cause materialis, sed sequuntur in via cause formalis.* Et 1. 2. quæst. 113. art. 8. ad 2. *Dispositio subjecti præcedit subjectionem forma ordine nature, sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipsum subjectum disponitur, & ideo motus liberi nature ordine procedunt consecutionem gratia, sequuntur autem gratia infusionem.* Tum etiam art. 7. Nullum præter gratiam habitualement auxiliium videtur admittere ad justificationem, dum ait: *tota justificatio impij originaliter consistit in gratia infusione: per eam enim & liberum arbitrium movetur & culpa remittitur.* Ibi enim D. Thomas non loquitur de auxilio actuali, quandoquidem per illud non remittitur peccatum, proindeque habitualement gratiam intelligit sub nomine auxiliij: atqui contritio procedit effectivè à gratia auxiliante; ergo, juxta D. Thomam procedit effectivè à gratia habituali, ad quam ultimò disponit.

104. Resp. Admittendo testimonia D. Thomæ, & negando min. subsumptam cum conseq. Ex illis enim testimonijs nihil omnino contra doctrinam nostram inferitur: Primum enim non venit ad rem, quia dispositio illa sive pius voluntatis motus, utpote se habens ex parte cause materialis, quandoquidem materia non causat, vel recipit, nisi ut disposita, præcedit in genere cause materialis dispositæ ipsam gratiam, sicut materia disposita præcedit formam, at in genere cause materialis completæ, & formatæ subsequitur formam ad eum modum, quo totum non est prius, sed poste-

rius suis partibus, ut diximus num. 81. ceterum quòd dispositiones illæ sequuntur gratiam in genere cause per se efficientis, de quo est controversia, nunquam, & nusquam dicit D. Thomas: neque secundum testimonium venit ad rem; Nam D. Thomas nequaquam dicit, dispositionem, quæ præcedit susceptionem formæ sequi actionem formæ, sed sequi actionem agentis; sed quid exinde contra nos? certe contra Adversarios maxime militat testimonium istud, ex quo rectè infert D. Thomas, quòd motus liberi arbitrij præcedit nature ordine consecutionem gratiæ habitualis, & sequitur infusionem gratiæ actualis. Tertium denique testimonium nihil probat; Nam ibi D. Thomas solum loquitur de gratia actuali incitante ad pios motus; quare non dicit, quòd in ea consisteret formaliter justificatio, sed originaliter, quia origo, & initium justificationis in auxilio prævenientis, & excitantis gratiæ positum est.

Objicies 4. Deus diligit prius hominem, quam homo Deum ex 1. Joannis. 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos;* ergo prior est gratia habitualis, per quam Deus diligit hominem, quam contritio, vel dilectio, per quam homo diligit Deum. Confirmatur 1. ex Joannis 15. ubi Christus ait: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semet ipso, nisi manserit in vite, sic nos vos, nisi in me manseritis;* ergo prius est, quòd homo maneat in Deo per gratiam sanctificantem, quàm quòd eliciat contritionem. Confirmatur 2. ex Arausiano 2. Can. 18. *Debetur merces bonis operibus si fiant;* sed gratia præcedit, ut fiant, & Can. 25. *Ipsè dedit nobis, ut Deum diligereamus, qui charitatem infudit in cordibus nostris;* ergo prius est, quòd habeamus gratiam, & charitatem, quàm quòd eliciamus contritionem. Confirmatur 3. Gratia habitualis est principium proximum vite supernaturalis; atqui nullus actus vitalis produci potest, quin præcedat principium proximum vite; etenim, si Deus moveret corpus mortuum, motus ille non esset vitalis, quia abesset anima, quæ est principium motus. Patet, si Angeli corpus assument, ea corpora non operantur vitaliter, quia desunt anima, & facultates naturales eorum mortuum operantes, quæ sunt principium vitale, & principium vitale est omnino insupplebile; quare actus dei, & spei informes non sunt vitales; justus enim ex fide, quæ per dilectionem operatur, vivit, proindeque fides sine operibus mortua est, & qui non diligit, manet in morte; ergo, ut producatur contritio, necesse omnino est, quòd gratia habitualis illam producat.

Respondeo dist. ant. Deus diligit prius hominem amore benevolentia; conc. amore amicitabili, nego anteced. & consequentiam; neque video, quomodo Adversarij possint de hac veritate dubitare, aut in alienum sensum scripturam detorquere; quandoquidem certum est, Deum

Deum odii inimicabili prosequi peccatores, simulque alio amore non quidem amicabili, de quo diximus num. 98. sed benevolentiae illos diligere, dum vult illis alia bona, inter quae veniunt auxilia gratiae actualis, quae Deus illis confert, ut à peccatis resurgant, quibusque plures peccatores resistunt. Ad primam confirmationem conc. ant. & nego conseq. quia Christus in eo testimonio loquitur de fructu condigno gratiae, & gloriae, quem ferre non poterit homo, nisi manserit in Christo per gratiam sanctificantem, eamque gratiam non amiserit, ut dicemus agentes de merito. Contritio autem, qua peccator disponitur ad gratiam sanctificantem, non est meritoria de condigno gratiae sanctificantis, sed solum de congruo, quin imò, ut peccator hanc contritionem eliciat, necesse est, ut etiam maneat in Christo recipiendo ab ipso non quidem influxum amicabilem, sed benevolum, in susceptione auxiliantis gratiae inclusum, de quo agit Augustin. Tractatu 18. in Joan. unde, cum dupliciter possit homo considerari manens in Christo, videlicet aut per conjunctionem amicabilem, aut saltem per benevolam, aliqua ex his necessaria est, ut faciat fructus meritorios vitae aeternae.

107. Ad secundam confirmationem conc. antec. & nego conseq. quia Augustin. in primo testimonio loquitur de gratia auxiliante contra Semipelagianos, non praequirentes auxilium ad initium salutis; exinde autem perpetim infertur, gratiam habitualement esse indispensablem principium effectivum actus charitatis, & contritionis. In secundo vero testimonio loquitur etiam de gratia auxiliante, per quam dicitur diffundi Spiritus Sanctus, non quidem ut inhabitans, sed ut motor, vel loquitur de ipso actu charitatis, qui etiam dicitur diffundi sensu, in quo canit Ecclesia, *Infunde nobis Domine tuae charitatis affectum*. Quin potius Araucanum eodem loco agit de praeparatione ad actum fidei, & spei, ad quam non infunditur Spiritus Sanctus, nisi ut motor per gratiam auxiliantem; unde idem quoque dicendum est in nostro casu, atque hoc sensu intelligendus est Augustin. Tractatu 15. in Joannem dicens: *Quomodo diligimus, ut Spiritum Sanctum accipiamus, quem, nisi accipiamus, diligere non valeamus*.

108. Ad tertiam confirmationem dist. maj. est principium vitae meritoriae de congruo, conc. de condigno, subdist. formate, conc. effectivum, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Ratio est, quia principium proximum vitae, quod suppleri non potest, est illud, quod actu vitali denominatur vivens, & hoc suppleri non potest ab extrinseco, sicut neque actus, quo potentia denominatur cognoscens. Virtus enim cognoscitiva stat in essentia entis, & essentiae insupplebilis sunt; at alia principia effectiva, cum non sint de essentia principij viventis, sed illi superadveniant,

possunt supervenire vel intrinsece, vel extrinsece, dum contineant virtutem illius actus vitalis productivam, atque ita possint potentiam vitalem adjuvare; sic apud ipsos Thomistas auxilium permanens suppleri potest per aliud transiens, quo ipsi ajunt, Div. Paulus elicit visionem Dei: principia enim effectiva suppleri posse ab extrinseco, res notior est, quam quae probatione indigeat; Petrus enim, qui intrinsecas vires amisit, quibus poterat elevare pondus ut octo, solumque potest modo elevare pondus ut quatuor, adjuvari certe potest ab aliquo extrinseco ad elevandum pondus ut octo; quare, cum principium, quod à supernis actibus intrinsecis denominatur vivens, sit homo, & non gratia superaddita homini, virtus illa vitalis est homini insupplebilis; at gratia necessaria ad eos actus physice producendos potest esse vel intrinseca, vel extrinseca, de quo latè egi in Tractatu de actibus humanis.

Objicies 5. Inclinatio ad bonum alicujus naturae supponit naturam illam saltem participatam, ut actus ab ea procedat; atqui actus contritionis, & dilectionis perfectae sunt inclinatio actualis ad bonum divinum, ut est in se; ergo supponunt gratiam habitualement, quae est natura divina participata, ut ab ipsa procedant. Confirmatur 1. Actus de condigno meritorij vitae aeternae procedunt physice effectivè à gratia sanctificante: sed omnis actus charitatis, & contritionis sunt de condigno meritorij vitae aeternae; aliter aditus extra Sacramentum justificatus, & statim post acceptam gratiam ante novos pietatis actus à gratia habituali profectos moriens, gloriam sine meritis propriis obtineret, siquidem nullum actum à gratia habituali profectum in ea suppositione eliceret, quod est contra Ecclesiae sensum, gloriam parvulis titulo hereditatis, adultis vero titulo mercedis merita compensantis asserentem; ergo &c. Confirmatur 2. ex D. Thoma 3. part. quaest. 7. art. 13. ad 2. dicendum: *Calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis jam praesistentis; sic etiam sensus tactus est dispositio ad receptionem animae rationalis, à qua effectivè procedit*; ergo etiam contritio potest esse dispositio ad gratiam, à qua effectivè procedit.

Respondeo dist. maj. si sit inclinatio ad bonum alicujus naturae eo nodo, ac ipsa natura in suum bonum inclinat, conc. si sit diverso modo, neg. maj. & distincta min. nego conseq. actus enim, quo homo desiderat habere puritatem angelicam, vel nivis candorem, est inclinatio in bonum naturae angelicae, atque in bonum naturae nivis, quin talis actus supponat influxum naturae angelicae, aut naturae nivis, vel sit à natura participata ab illis ex eo praesens, quod ea inclinatio non sit eodem modo in homine, ac sit in ipsa nive, vel in natura angelica. Pariter inclinatio in bonum divinum, cum in homine non sit eodem modo, ac est in

natura divina, non requirit influxum naturæ divinæ per sanctitatem participatæ, sed satis est participatio mediorum, seu auxiliorum ducentium in sanctitatem. Ad primam confirmationem neg. maj. quia, ut sanctitas sit condignificativa meriti, nequaquam requiritur, quod sit causa effectiva actûs meritorij, sed fat est, quod fuerit in subiecto independenter ab influxu actûs, qui elicitor, & pro eo instanti conservetur in subiecto, ut constar à num. 453. de actibus humanis. Sic Personalitates Divinæ non sunt ad extra productivæ, & tamen Personalitas Verbi est condignificativa actûs eliciti ab anima Christi Domini.

111. Quare, ut adustus obtineat gloriam ut coronam, necesse non est, ut actus ab ipso elicitor physicè producat à gratia sanctificante, sed fat est, quod sit meritorius gratiæ, quàm obtinet vel de condigno, vel de congruo, quo in casu, gratia data in præmium talis actûs jam exigit gloriam, quæ proinde dicitur corona, & non pura hæreditas, quia datur ob gratiam collatam in præmium. Ad secundam confirmationem concessò testimonio D. Thomæ neg. ant. quoad sensum tactûs; iste enim non est dispositio prævia, ut introducat anima rationalis, sed constituitur tanquam ex forma ex anima, & tanquam ex subiecto ex materia organizata, & disposita; illæ autem dispositiones præviæ non quidem ab anima, sed ab alio agente prævio physicè producuntur. Testimonium autem D. Thomæ non venit ad rem, quia calor, qui fuit dispositio ad formam ignis; non fuit physicè productus à forma ignis, licet ab ea postea conservetur in subiecto; unde non dicitur effectus primò productus, sed servatus. Quæ est ratio, propter quam postea D. Thomas eadem 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. non vocat illum absolutè effectum, sed quasi effectum; ait enim: [per calorem disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adveniente calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ.] Quæ sanè verba nostram doctrinam maximè confirmant. Unde, licet causæ, quæ non debent physicè existere, ut causent, v. g. causa finalis, aut idæa intentionalis possint cum alijs esse ad invicem causæ: at illæ duæ causæ: quæ, ut causent, debent physicè effectivè producere, aut physicè existere, non possunt esse in eo genere sibi invicem causæ.

Objicies 6. contra tertiam conclusionem. Ex vi decreti purè intentivi, aut disjunctivi contritio est absolutè futura: atqui Deus videt absolutè in se ipsa contritionem absolutè futuram; ergo ex vi decreti purè intentivi, aut disjunctivi videt Deus contritionem absolutè in se ipsa: sed contritio ita prævisa est sufficiens dispositio ad habitum, à quo primo proceditur; ergo &c. Resp. dist. maj. est absolutè futura intra causas, conc. extra suas determinatas causas, neg. maj. & dist. min. cum consèq. neg. min. sublumptam. Ratio est, quia, ut contritio sit sufficiens dispositio ad gratiam, necesse est, quod prævideatur absolutè in se ipsa cum sua actione, per quam à suis causis procedat: hoc autem modo prævideri non potest, nisi videatur absolutè pendens à principijs, à quibus determinatè producit. Quare contritio solùm potest ita prævideri post decretum executivum, à quo per se pendet causæ determinatæ, à quibus ea contritio per se procedit. Videatur Ovidius Controvertia 2. puncto 8. à num. 101.

Objicies 7. instandò simul solutionem. Per scientiam mediam videtur contritio in se ipsa conditionatè futura: atqui non videtur extra suas causas determinatas cum actione, à quibus pendeat; ergo pariter, ut videatur in se ipsa absolutè futura, & revera disponens ad gratiam, necesse non est, ut videatur cum actione sua extra suas causas determinatas, à quibus per se pendeat. Resp. conc. maj. & dist. min. Non videtur extra suas causas absolutas, conc. conditionatas, neg. min. & consèq. Ratio est, quia, quando per scientiam mediam videtur contritio conditionatè futura, videtur etiam causæ conditionatè, quæ, si absolutè ponantur, ponetur etiam contritio absolutè cum actione, per quam determinatè ab illis principijs pendeat; quare ex hoc argumento potius possumus Adversarios fortiter redarguere, nam si ex parte hypothesis scientiæ mediæ non supponantur causæ per se determinatæ, à quibus, si determinatè ponantur, ponetur cum sua actione ea contritio, non videtur per scientiam mediam in se ipsa contritio conditionatè futura; ergo, si absolutè non supponantur causæ, à quibus determinatè ponetur contritio, non poterit per scientiam absolutè videri contritio in se ipsa absolutè determinata.

DISPUTATIO IV. DE CONSTITUTIVO ET PROPRIETATIBUS METAPHYSICIS GRATIÆ HABITUALIS.

114. Diximus à num. 68. de Deo, quid veniat nomine essentiæ apud Theologos & Philosophos, & quomodo essentiæ universaliter sumpta ad hæc duo membra, nimirum physicæ, & metaphysicæ essentiæ contrahatur. Es-

sentia enim physica complectitur omnia ea prædicata cum re, de qua agitur, identificata, sine quibus ejus essentiæ nullibi reperiri potest; essentiæ verò metaphysica stat in prædicatis primarijs, seu præcipuis, & adæquantibus conceptum